

altioreque mari decurrere, & Septemtrionaliora Novæ Zemblæ littora circumnavigare ad LXXXII. aut circiter, altitudinis gradum. Difficile hoc? tentetur modo. Non obstabunt Tenebræ; nam ut noctes ibi longæ, sic longi etiam, & ex multis compacti diebus dies: non Glacies, quæ in alto & vasto mari rarior, & profus ex proximis littoribus adventitia: non Frigus, quod eo loci deprehensum mitius, quam gradu LXXVI, & circiter; intendi fuetum & augeti non ob Poli vicinitatem, sed nunc in his nunc illis locis ob glaciei, terris vel adhærentis vel abscissæ & cum marinis aquis mixtæ, copiam: non Vada, non Syrtes; omnia enim alta & profunda docuerunt promissæ passim ab Navarchis nostris ad fundum lineæ: non Venti, qui, ut alibi, sic iis in locis nunc aduersi nunc ferentes; nisi quod, quam alibi, vehementiores; Sol enim inde remotior vapores non facile consumit, sed magis eos elevans ventis præbet alimenta: non denique molestiam conciliabit iter longum; quum enim sub Aequinoctiali Longitudinis gradui tribuantur xv. milliaria, & progrediundo vel Meridiem vel Septemtrionem versus semper minus, adeo ut loco, quem dixi, in gradum tantum tria computentur; quum item Promontorium Tabinum sit ex Veterum

mente